



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Tvronense. Pro Reformandis Moribvs Ecclesiae celebratum  
Andegaui in Gallia anno Domini MCCCCXLVIII. tempore Nicolai papae V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

ANNO CHRISTI 1448. CONCILIVM TURONENSE.  
PRO REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIAE  
celebratum Andegaui in Gallia anno Domini  
MCCCCXLVIII. tempore Nicolai papæ V.

NOTÆ.

\* *Concilium.*] De hac Synodo Posseuntis in apparatu sacro hæc:  
Turonense Concilium prouinciale anno 1448. Nicolai autem quinti  
anno 2. celebratum est Andegaui, Ioanne archiepiscopo Turonensi pre-  
side. Adsuere coepiscopi seu suffraganei, Petrus Sammachouensis, Io-  
annes Cenomanensis, Guillelmus Nannetensis, Robertus Rhedonensis,  
ceterique tam episcopi quam abbates per procuratores. Summam autem,  
sive compendium huic Concilii misit ad me Parisiis vir doctissimus Fran-  
ciscus Feuardentius theologus, ordinis Franciscani, de quo nos plura in  
verbo Franciscus Feuardentius. Ea vero est sequens.

I.

*Quilibet sacerdos singulis diebus non solennibus dicat officium mor-  
tuorum, ad minus cum tribus lectionibus, maxime cum pro fidelibus  
defunctis celebrabit: quia sancta & salubris est cogitatio pro defunctis  
exorare, ut a peccatis soluantur.*

II.

*Distributiones quotidiane & anniversaria in ecclesiis metropolita-  
nis, cathedralibus & collegiatis, pro interessentibus personaliter horis  
& anniversariis, non dentur absentibus, ita quod qui non laborat, non  
manducet.*

III.

*Nullus canonicus, aut alia persona ecclesiastica in diuersis ecclesiis  
pro eadem hora distributiones recipiat.*

IV.

*Præsentes horis canonici silentium teneant, lectionibus diligenter  
intendant, orationes devote audiant; nec bini & bini in choro horas ipsas  
dicere præsumant.*

V.

*Ludos noxios & scandalosos omnibus quidem, sed clericis præsertim  
prohibemus.*

VI.

*Predicatores cuiuscumque gradus vel conditionis existant, non in ere-  
tis ad hanc rem theatris, sed locis Deo dicatis, cum omni reverentia &  
humilitate verbum diuinum annuntient. Nec sacerdotes nisi in locis  
consecratis Missas celebrent.*

CAPVT VII. deerat.

VIII.

*Prohibemus ne abbates, aut priores conuentuales supra se abbates  
Concil. Tom. 34.*

A ij

4 NICOLAVS C. TVRONENSE. FRIDERICVS III. IMP.  
P. V. CAROLVS VII. R. FRANC.

non habentes, qui de priuilegio vel consuetudine bona prioratum va-  
cantium ab eisdem dependentium ad se pertinere afferunt, totaliter vten-  
sisibus & bonis aliis mobilibus denudent.

ANNO  
CHRISTI  
1448.

IX.

Archidiaconi, archipresbyteri, decani, & aliae persona ecclesiastice,  
de iure aut consuetudine ecclesias visitantes, si non debite visitauerint,  
nihil percipiant: cum ferendum minime sit, ut temporalia metat, qui spi-  
ritualia non seminat, & potius quam que Christi sunt, sua querat.

X.

Prohibemus ne aliquis, cuiuscumque status vel conditionis existat,  
teneat concubinam: contrarium facientes, sui ubi superioris auctoritate  
canonice moniti fuerint, excommunicentur.

XI.

Prohibemus ne quis sententiam excommunicationis latam per iudi-  
cem, occultam teneat, sed ipsam infra mensam a tempore quo lata fuit,  
faciat publicare.

XII.

Quia per clandestina matrimonia a sanctis patribus non sine causa &  
merito prohibita, multa mala eueniunt: prohibemus ne quis presbyter sa-  
cularis aut regularis de cetero talia matrimonia celebrare aut solenni-  
zare presumat sub pena excommunicationis.

XIII.

Insultationes, clamores, sonos, & alios tumultus fieri solitos in secun-  
dis vel tertius quorumdam nuptiis, quos chariarium vulgo appellant,  
propter multa & grauia inconuenientia que inde sequuntur, fieri omnino  
prohibemus sub excommunicationis sententia, & alia pena arbitraria.

XIV.

Excommunicantur inuasores, raptiores, predatores, occupatores  
suo nomine vel alieno, personarum ecclesiasticarum, rerum suarum, seu  
locorum religiosorum. Item qui domibus vel locis ecclesiasticis posuerint  
comestores. Et quia facientes & consentientes pari pena constringun-  
tur, receptatores, defensores inuasorum, & qui ad premissa dederint  
consilium vel fauorem, publice vel occulte, eisdem penis multentur. Et  
post mortem, nisi ipsi vel eorum heredes satisfecerint de premissis, eccl-  
esiastica careant sepultura.

XV.

Comprobatur statutum reuerendissimi Simonis sanctae Romane ec-  
clesia tituli sancte Cecilia cardinalis in Francia legati, quo sententiam  
excommunicationis eos incurrire decreuit, qui quomodocumque nuntios  
bainulosque sententiарum aut executorum ecclesiasticorum iudicium hac  
occasione capere, detinere, occultare, carceri mancipare, aut, quod gra-  
uius est, interficere tentauerint.

XVI.

Prohibemus ne ignota sanctorum aliquorum reliquia quæstus gratia  
per nostram prouinciam deferantur. Contrarium facientes per locorum  
ordinarios districte compescantur.

NICOLAVS C. LVGDVNENSE. FRIDERICVS III. IMP.  
P. V. CAROLVS VII. R. FRANC.

XVII.

Statuimus ut amodo indulgentia per sedem apostolicam concessa vel  
concedenda, per rectorem aut alium prouidum, honestum & eruditum  
virum, per loci diaeesanum, seu eius vicarium deputandum publicentur,  
& populo exponantur.

ANNO  
CHRISTI  
1449.

CONCILIVM LVGDVNENSE  
PRO SCHISMATE INTER NICOLAVM  
papam & Felicem antipapam tollendo congregatum  
anno Domini MCCCCXLIX. tempore Nicolai papæ V.

NOTA.

\* *Concilium.*] De hac Synodo ita Genebrardus lib. 4. suæ chron.  
Anno 1449. Concilium Gallicanum Lugduni celebratum iussu Ca-  
roli regis ad tollendum schisma inter Nicolaum & Felicem, qui ro-  
gatus a Concilio & Friderico III. imperatore, libere cessit pontifi-  
catu. Vnde vulgo de eo ferebatur carmen:

*Lux fulsit mundo, ceſſit Felix Nicolao.*

Ioannes le Maire.

ANNO  
CHRISTI  
1455.

V I T A  
CALLISTI PAPÆ III.

CALLISTVS, Alfonſus Borgia antea vocatus, vir &  
Cæfarei & pontificii iuris consultissimus, Alfonſi  
regis confilio & secretis adhibitus. Cum de pace inter  
Eugenium & Alphonſum regem ageretur, ſe maxime id  
curante, purpuræ dignitatem oblatam recuſauit, nec prius  
acepit, quam rem inchoatam ex animi ſententia perfe-  
ciffet. Cardinalis tituli ſanctorum quatuor Coronatorum  
creatus eſt. Denique anno Domini 1455. ſexto Idiſ Apri-  
lis Callisti nomine pontifex renuntiatus, ſtatiſ Turcis  
bellum indicens, quod multo antea vouerat, viros per v-  
niuersam Europam misit, qui ſacra prædicatione animos  
omnium ad hoc tam præclarum bellum inflammarent. I-  
taque ſedecim triremibus fabricatis & vndique coactis  
auxiliis, clafsem duce patriarcha Aquileiensi in mariti-  
mas Afričas oras immisit. Magna contentio Romæ exorta  
inter Vrſinorum factionem & comitem Anguillariæ, cui  
fauebant Columnenses, pontificis auctoritate ſedata eſt.

Callistus  
III. quando  
pontifex  
factus.

Turcos bel-  
lo infesta-  
uit.

